

# Bitus seruandus in celebracione Missae.

## I. De Praeparatione Sacerdotis celebraturi.

I.

**S**ACERDOS celebraturus Missam, praevia Confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet : et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi praeparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur, accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea quae dicturus est. Postea lavat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde praeparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inaurata, et simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus), super ejus os ponit purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico : super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum.

2. Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente, benedicta : ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat; induit se, si sit Praelatus saecularis, supra rochetum; si sit Praelatus regularis, vel alias Sacerdos saecularis, supra superpelliceum, si commode haberri possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

5. Si sit Episcopus, vel Abbas, ut supra, habens usum Pontificalium, et solemniter celebret, accipit paramenta, et alia ut in Pontificali et Caeremoniali.

## II. De Ingressu Sacerdotis ad Altare.

I. **S**ACERDOS omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra praeparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super Calicem tenens, et facta reverentia Crucis, vel imagini illi, quae in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint praeparata) praecedente, superpelliceum induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reverentiam. Si ante locum Sacramenti, genuflectat. Si ante Altare, ubi cclebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

2. Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positae profunde se inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, et super illud Calicem velo cooperatum collocat, bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.

3. Si est consecratus plures Hostias pro Communione facienda, quae ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato vel vase mundo benedicto; ponit eas retro post Calicem, et alia Patena seu nulla cooperit.